

1227-1241 – SS Gregorius VIII – Sicut Manifestum Est [AD 1228-09-17]

<http://www.procasp.org.br/>

Sicut manifestum est

Gregorius episcopus, servus servorum Dei Dilectis in Christo Filiabus: Clarae ac aliis Ancillis Christi in Ecclesia S. Damiani Episcopatus Assisii congregatis Salutem et Apostolicam Benedictionem.

1 Sicut manifestum est, cupientes soli Domino dedicari abdicastis rerum temporalium appetitum; propter quod, venditis omnibus, et pauperibus erogatis, nullas omnino possessiones habere proponitis, illius vestigiis per omnia inhaerentes, qui pro nobis factus est pauper, via, veritas, atque vita; nec ab huiusmodi proposito vos rerum terret inopia; Nam laeva Sponsi caelestis sub capite vestro ad sustentandum infirma corporis vestri, quae legi mentis ordinata, caritate stravistis.

Denique qui pascit aves caeli et lilia vestit agri, vobis non deerit ad victum pariter et vestitum; donec seipsum vobis transiens in aeternitate ministret; cum scilicet ejus dextera vos feliciter amplexabitur in suae plenitudine visionis.

2 Sicut igitur supplicastis, altissimae paupertatis propositum vestrum favore apostolico roboramus, auctoritate vobis praesentium indulgentes, ut recipere possessiones a nullo compelli possitis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu etc.

Datum Perusii XV Kalend. Octobris Pontificatus nostri Anno Secundo.